362

64.

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis, 17. Februarii 1729.

M. DESIDERIO-CLAUDIO FREMONT, Doctore Medico, Præside.

Confert-ne ventriculi motus, ad elaborationem chyli?

I.



MOTU vivunt animalia, motu pereunt. Humores scilicet & spiritus agitatione continuâ vitæ functiones absolvunt: sed præcipiti dum cursu vehuntur, cutis repagula transiliunt; & quâlibet horâ, solidarum quoque partium, quas fugiendo diruunt, corpuscula secum abripiunt. Brevì itaque viventes deficerent, si perpetua hæc tàm solidarum quàm fluidarum particularum damna non repararent alimenta. Hæc ideò sicca vel liquida (fame & siti jacturæ majoris interpretibus,) appetunt animantes: utraque verò ex variâ rerum dissimilium congerie genita; diversis enim partibus reficiendis alimentorum mixtione providetur. Iniquè igitur de sorte suâ nonnulli quæruntur, quòd arentes fauces proluere non liceat aquâ, à quibuslibet rerum vicinarum effluviis expeditâ; vel quod nullis aurum diffluat liquoribus, qui possint impunè ventriculo committi. Vix enim utile quidquam nutritioni pura conferunt elementa, vel metalla, Aurum omnium minimè; quippe quod sibi pertinaciter cohæret; quia similibus ex partibus coalescit, nulla corporis alieni societate discretis. Ne credas tamen alimenta quò sunt pluribus composita, eò magis esse alendo corpori idonea. Prosunt quæ natura congessit, nocent quæ miscet ars gulæ delitiis addicta. Lædunt cœnæ dubiæ, & mixta assis elixa,

Conchylia turdis. Hæc enim confuſa, ſtomacho tumultum inferunt; & ventriculo vix ex tanto rerum diſſimilium acervo chylum elaboranti, negotium ingens faceſſunt.

II.

CANDIDO rore quem mammæ nutricis effundunt, naſcentes paſcimur. Albo liquore quem ventriculus ſubminiſtrat, toto vitæ decurſu reficimur. Humor ille ex cibis attritis, coctis, expreſſis effluens, chylus eſt: ut lacti colore & ſubſtantiæ modo, ſic & facili unius viciſſim in alterum mutatione, congener. Ex lacte nimirùm, tenellis infantium, & languidis convaleſcentium ventriculis, citiſſimè chylus generatur; nec minùs expeditè, è chylo cum ſanguine ad nutricum mammas affluente, lactis penuria reparatur. Ex liquidis ille ſolidiſque manat alimentis, citiùs quidem & faciliùs, ſi mollia & ſimplicia, longo verò & vehementi ventriculi niſu, ſi dura & compoſita devorentur. Cum enim chylus, ut fiat accommodatum ſanguini rudimentum, æqualis, fluidus, & albus evadat neceſſe ſit; quò plura ab hiſce conditionibus remota ventriculo traduntur, eò validiori fibrarum contentione dura mollibus, ſiccis liquida miſceat opus eſt, ut res diſſimiles in cremorem uniuſmodi coaleſcant. Hic ſi labem aliquam, dum in ventriculo verſatur, contrahat; ſi nimirùm, aut febrili calore illi nidor inuratur, aut refluente è pancreate ſucco acriùs ebulliens, aceſcat, vel, reſolutis ventriculi fibris, minùs ſubactus elabatur; vix aliorum viſcerum ope culpa deletur: & licet à craſſioribus partibus attritionem aut coctionem eludentibus, à jejuno ad cœcum uſque inteſtinum, expreſſione ſucceſſivâ liberetur; & à fœcibus expeditus vaſa deſtinata ſubeat: nihilominùs delicta ventriculi luit immerita cruoris maſſa.

III.

VENTRICULUM principem eſſe primæ coctionis officinam, ſitus ejus & adnexa teſtantur. Medius eſt gulam inter unde excipiat alimenta, & inteſtina quibus illa in chylum mutata committat. Ambitu ſuo ſinum, ad cibos continendos, viſcerum omnium capaciſſimum complectitur. Tantâ verò fervidi ſanguinis copiâ è propinquo corde, innumeris arteriis quâlibet diſcurrentibus, alluitur; calidiſſimaque illum viſcera hepar ſcilicet, lien, pancreas, imò fons ipſe caloris, & ab eo præceps æſtuantis ſanguinis rivus, tam arctè fovent & ambiunt: ut palàm conſtet, tanto caloris apparatu non privatæ partis incolumitati, ſed publico culinarii viſceris foco provideri. His porrò cùm & ſalivæ, quæ cibis, cum dentibus teruntur, accidit, & liquoris è glandulis gulæ & ſtomacho appoſitis decidui, fermentum ſit annumerandum; extrà dubium eſt, multiplici adeò caloris incitatione, in ventriculo cibos ad ebullitionem promoveri. Ne tamen illum putes, lebetis inſtar ardenti foco impoſiti, efferveſcentia alimenta otioſum continere: idque unum agere, ut onus ſuum quàm proximè ambiat, & oſculis exactè obſignatis donec in chylum abeat, amplectatur. Neque ut illum ab inerti vendices otio, ab eo chylum abſolvi, fabulosâ non minùs quàm inexplicabili ſubſtantiæ proprietate contendas. Verùm ut facilè, quid ad chyloſeos complementum ventriculus conferat, intelligas; ipſius ſtructuram, tunicas, nervos, ſedulus inquire. Quæ ſcilicet media illi eſt membrana, carnoſa, & omni fibrarum genere intertexta, uti ſtaminum ordine, multiplici

nervorum distributione, & carne tendonum æmulâ, musculi faciem refert; sic & musculi quoque munus obit: neque solum rectis fibris rapit alimenta, transversis expellit, obliquis amplectitur, sed omnibus vel simul, vel vicissim agentibus, quâdam sui totius in orbem commotione, (velut in compositis musculis contingit) alimenta versat, miscet, attenuat, & tunicæ interioris rugis & tuberculis comminuit.

I V.

LONGIUS multò cerebri patet imperium, quàm vulgò solet circumscribi: neque solùm in musculos, ad externas corporis partes arbitrio voluntatis agendas, institutos, ab eo spiritus motores influunt; sed in omnia viscera, non secus ac in artus, jus suum proferunt. Viscus nimirùm quodlibet, sive membranosum illud sit, sive parenchyma audiat, suis agitatur fibris: quibus solutis, aut constrictis, quod amicum est excipit; quod superfluum aut incommodum respuit. Neque enim frustra, vel unius sensûs gratiâ, qui visceribus obtusior est, tot nervorum propagines in eorum membranas distribuuntur; sed nervi in ipsorum intima perreptantes fibris adnectuntur; & eas pro diversâ motûs necessitate contrahunt, aut laxant. Unde fit, ut quanquàm illæ nesciâ voluntate moveantur, tamen illarum motus, pro variâ imaginationis commotione, sæpiùs ita temperentur, ut in violentis animi pathematis palpitent, vel repentè quiescant præcordia. Quod verò privatis partibus ad proprios usus concessum est, publicis officinis, meliore jure, ad totius œconomiam attributum est. Hinc cor non fibris modò, sed musculis pluribus instructum est, quibus indesinenter vibratur, atque etiam è vivis animantibus evulsum, sanguine vacuum, & lotum diutissimè palpitat: ut ideo, non abs re, illud robustum musculum divinus senex appellarit. Huic densâ carne & staminum robore proximus est, secundus, avium quæ semina deglutiunt, ventriculus: ex fibris enim ille tam solidis, nervis, & tendinibus musculorum more compactus est; ut vix credat aliquis, tam valida motûs instrumenta id solum muneris obtinere, ut grana devorata, quam plurimùm integra, complectatur. Animalium verò utrinque dentatorum licet ventriculus membranosis visceribus soleat annumerari, si tamen insignes nervorum ramos, qui à sexto pari in carnosam illius membranam discurrunt, si firmam ejus compagem, & nervosam, quâ convestitur tunicam expendamus; illum facilè musculi vices gerere, atque etiam validos, ad chyli elaborationem, posse motus obire intelligemus. Nec absurdum videtur, hisce partibus motum earum functionibus idoneum, à nervis mutuatum, adscribere, quæ in hystericis, & melancholicis affectibus, nervorum irritatione, tam vehementer convelluntur, ut lienis, intestinorum, uteri, cordis & stomachi concussiones, oculis etiam & tactu manifestè percipiantur.

V.

TANTI motus est ad absolutum primæ coctionis opus, ut ex quo cibi animantium ora subierunt, nusquàm moveri desinant. Primùm enim in ore dentibus comminuuntur: mox linguâ, & asperiore palati tunicâ, velut limâ, teruntur. Ac demùm continuâ gulæ compressione ad ventriculum traducti; illius agitatione tamdiù subiguntur, donec quæ minùs divisa sunt fragmenta attenuentur, fluida solidis, tenuia crassio-

ribus admiſceantur; & partes quælibet alimentorum, indeſinenti converſione vim caloris æqualem percipiant, parique fermenti mole perfuſæ, ſimilem quoque ebullitionem concipiant. Nec ſecus ac maſſa panis, agitatione repetitâ, fermento melius imbuitur; & cereviſia, vinum aut hydromel, in doliis commota, citiùs matureſcunt, ita chylus frequenti ventriculi convolutione, ut albeſcit, ſic & brevì generoſior & perfectior evadit. Adeò ut, quod ſolâ vividi quantumvis caloris ope, & acidi liquoris, licet tenuiſſimi beneficio, ſine motu, non-niſi tædiosâ temporis morâ perficeretur, eo agente prælo meliùs & citiùs abſolvatur. Hinc quibus animantibus gingiva ſuperior inermis eſt, ut quæ integra ferè devorant alimenta conficiantur, quadruplici ventriculo proviſum eſt: illa nimirum in ingluvie macerata, quadratis reticuli criſtis inciduntur; ſemilunaribus & aſperis Omaſii membranis teruntur; ut tandem, accedente Abomaſi compreſſione, in chylum eliquentur. Sic & avibus quæ vel ſolida, vel extimâ tantùm pelle nudata, grana deglutiunt, duplex adeſt ventriculus: ut hæc in primo, humore è glandulis vicinis affluente, imbuta, in ſecundo tunicâ molæ inſtar ſulcatâ munito, lapillis juvantibus quos aves abſorbent, & actione validâ muſculorûm quibus ventriculus ille conſtat, in pultem chyloſam abeant. Porro; cum ciborum quidquid ventriculus excepit, non ſimul colliqueſcat; ſed ſenſim partes, quas rugoſa illius tunica propiùs attingit, in chylum diffluant: partitis quoque vicibus per inferius ejus oſculum ejiciuntur, & perpetuâ ventriculi compreſſione, quod coctum & dilutum eſt, in inteſtina continuò propellitur; ut ſic quod ſupereſt elaborandum, ſimili elidente complexu, melius abſolvatur.

Ergo ventriculi motus, ad chyli elaborationem confert.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Andræas de Laleu, Scholarum Professor.	*M. Elias Col de Villars.*	*M. Antonius Geoffroy.*
M. Antonius le Moine.	*M. Henricus Besnier.*	*M. Joannes Coutier.*
M. Petrus-Antonius Lepy.	*M. Joannes Besse, Dotariæ Hispaniarum Reginæ à Consiliis, & Medicus Primarius.*	*M. Joannes Baptista Mongin, Medicus Regis ordinarius.*

Proponebat Pariſiis, ANTONIUS-NICOLAUS GUENAULT, Pariſinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1729. à ſextâ ad meridiem.

Typis Viduæ J. QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typog. 1729.